



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

III. Cruciata: eius institutio, ordo, & proventus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

quidquam est quod pluribus turpioribus atque atrocioribus calumniis petitur atque diffamatum sit quam ista in Hispania usitata administrandae justitiae ac conservandae Catholicae religionis rationes atque instituta. Nos tamen nihilominus justis & idoneis rationibus facile spero, evincemus, & a quo Lectori persuadebimus, Reformationem hanc, quam Novi isti Reformatores Ecclesiae (qui omnia deformarunt) cane peius & angue oderunt, re ipsa sanctam, justam atque utilem esse. Ordine ergo quid sit Hermandatus, tum Cruciatæ & Inquisitionis, explicabimus.

II. *Hermandatus*, quod verbum *Fraternitatem* significat, exacta justitiae species est, persequendis maleficis, qui se fuga subdixerunt, inserviens. Hac utuntur, ad comprehendendos facinorosos, quum alia media desunt: insequunturque eos, qui magnum aliquod crimen admiserunt, quocumque etiam sese contulerint, sive ea ditio Regi Catholico pareat, sive non. Quam ad rem exploratores adhibent, qui se in familiaritatem eorum, quos quaerunt, insinuant: nec cuiquam rei parcunt, quæ huc faciat, sed omni industriâ, atque omnibus, quos excogitare possunt, modis conantur eum molliter ad se retrahere, atque in eam regionem, unde elapsus est, revocare. Adeunt hominem sub specie amicius amicitiae, ac intimam familiaritatem cum ipso contrahunt, indigentem pecunia, agrum, aut in alia necessitate constitutum omni ope juvant: atque ita hac amoris simulatione inescatum, in plagas jam antea præparatas conjiciunt, & in manus justitiae tradunt. Quod si diffidentia hoc consilium remoretur, tentant persuadere homini, ut vel navi vel curru quem ipsi in hoc emerunt, iter aliquod animi gratia faciat: quo perductos abducunt quo volunt. Hac arte non raro Lutetiae, Constantino- poli, & in Germania abrepti sunt nobiles viri, & in Hispaniam ducti, ingentibus in eam rem impensis sumptibus, magnaque industria captæ rei absque tumultu gerendæ opportunitate. Qui in sanctam hanc Fraternitatem adscripti sunt, in ipso muneris sui exercitio, viridi vestitu, & pro armis, arcu feruntur. Habet hæc societas ad sustinendos tanti oneris sumtus, ingentes redditus, quibus, quum enormis alicujus facinoris reus persequendus est, minime parcunt. Non admittuntur ad Fraternitatem, nisi delecti, inculpati, vitæ probatæ, honesto loco nati, munerum & corruptionis aspernatores, validi, & ad tale negotium apti. Utque promtior sit negotii ipsi commissi expeditio, cautum est per

totam Hispaniam, ut in quovis oppido, castello, aut pago, ubi magnum aliquod facinus commissum est, continuo campanarum sono signum detur omnibus, indagandi quid sit, ac omni studio explorandi, quonam sese recipiat is, qui fugit: statimque Hermandatus socii ad suas partes agendas sese accingunt. Hodie hæc Fraternitas in multis Hispaniæ locis tanta religione observatur, ut homicidia, rapinæ, aut alia crimina ibi raro committantur, aut certè, si qua commissa fuerint, præsentissimam poenam non effugiant. Præclara sane Fraternitas, cuius tam admirabilis est fructus, ut virtutis augmentum, & tam opulenti Imperii (Justitia enim Regnorum est conservatrix) merito basis appelletur, dixi breviter quid sit Hermandatus. Jam, quid sit *Cruciatæ*, videamus.

III. *Cruciatæ* duas ob causas constituta est: primum ad colligendam pecuniam, quæ bono orbis Christiani, redimendis apud Infideles factis mancipiis, faciendoque infidelibus & hæreticis bello impendatur: deinde, ut constet, num quis pietatis, & Sacramentorum frequentationem negligat. Observatur hæc *Cruciatæ* etiam in Italia, & Romæ quidem, eum in finem instituta, ne quis Mahumetano, aut Judaico, aut hæretico more vivat. Huic ordini omnes & singuli, sine discrimine sexus, anno ætatis septimo nomen dare tenentur: nec quisquam admittitur ad confitendum, nisi bullam *Cruciatæ* habeat, quam redimunt plebei quidem binis, ut vocant, Regalibus, magnarum vero familiarum principes, octonis. Res in hunc modum administratur confessus ex Ecclesiae Catholicae præscripto circa Paschatis tempus ad mensam Domini participaturus ejus corpus accedit: quo sumpto, tesseram accipit, qua scriptum est, *cum hoc anno & hoc die sacra communionem usum esse*. Post Octavam festi, parochus, aut alius, cui hoc negotium datum est, per totam parochiam capitatim tesseras istas colligit: teneturque paterfamilias aut hospes sistere omnes illos, qui octiduo ante festum Paschatis domi ipsius, habita inquisitione, inventi fuerant. Quod si quis tesseram, aut justam excusationem non habeat, in vincula conjicitur, & pecunia mulatur: si vero hæreseos suspectus sit, ad Inquisitionem mittitur. Muneri huic præsentunt Archiepiscopi, Episcopi, & alii integræ & irreprehensibilis vitæ homines: qui etiam summam judicandi potestatem habent. Commissarius generalis Anno M.D. XCV. fuit Cardinalis Franciscus Avila. Reditus *Cruciatæ* opulenti sunt admodum: Sancta vero appellatur

pellatur, ob fructus quos sancta Catholica religio affert.

IV. Etsi vero duo illa quæ jam recensuimus Iustitiæ tribunalia ad pacis & Catholicæ religionis in Hispania conservationem plurimum attulerunt adjumenti, non minus tamen utile fuit Inquisitionis munus; quod veluti firmissimus agger, fœdissimam hæreseos eluvionem coercuit. Quia vero tam odiosè à nonnullis Inquisitio hæc traducitur, formam procedendi quæ in ea observatur, describere operæ precium mihi videtur. Inquisitionis origo non ad Lutheri, sed ad ea tempora refertur quibus Saracenis à Ferdinando Aragoniæ Rege devictis, in Hispania vivendi certis conditionibus permittitur licentia, ut nimirum certum persolverent tributum, atque interim religionis causa vis eis nulla inferretur. Bello confecto, & barbaris illis subjugatis, dictus Rex imperium suum ita constituendum sibi existimavit, ut Ecclesiæ dignitati ac saluti simul prospiceretur; atque in primis damnabiles superstitiones eradicarentur. Doctis ergo quibusdam viris negocium dedit in ea quæ ad Religionem pertinent inquirendi, & cavendi, ne Judæi vel Mahumetani, quorum adhuc ingens erat in regno numerus, zizania sua disseminarent. Hæc conservandæ Catholicæ religionis diligentia tam ipsi quam successoribus Catholici nomen ac decus peperit; quamvis nonnulli titulum hunc Alphonso Galliciæ regi à Papa Gregorio III. tributum ferunt, eo quod regnum suum Arriana hæresi purgasset. Tum temporis *Iacobini Monachi* (quorum ordo à Dominico Hispano Caliguritano, Lexoviensis dioceseos institutus fuit) in tanta erant existimatione, ut Rex Catholicus in omnibus quæ ad religionem pertinent; eorum staret iudicio: quod illi magna severitate exercebant, In Catalonia enim regno, instituta contra Albigenes inquisitione, ossa Arnaldi Castelboni & Ermolyns de Bronicende filiæ, qui avus fuit Rogerii Bernardi Comitis Foxiensis, effodi atque exuri, ac cineres in aerem projici jusserunt, quod hæresis crederentur fuisse participes. Sed res tota Anno M. C. D. XXV. per Cardinalem Petrum Consalvum Mendozam, Sixti IV. Pontificis interveniente auctoritate, fuit composita. Et hi quidem primi fuerunt Inquisitionis auctores; sed quia devictis Saracenis severius aliquando illa contra Judæos & Mahumetanos fuit exercita, origo ad Ferdinandum refertur. Hæc jam olim à Papa Sixto IV. & Rege

confirmata fuit, circiter Annum M. C. D. LXXV. ob innumeras nequitias quas Judæi in contumeliam Christianæ religionis committebant: eademque postea Luthero dogmatizare incipiente, anti-quæ conservandæ religioni magno fuit adjumento, atque obstitit, quominus tam ipse, quam alii novarum sectarum conditores in Hispaniæ quoque regnis novam Babylonem, ut in Polonia, Germania, Bohemia, Anglia & Belgio exadificarent. Ejus vero hic est ordo & processus. *Quicumque hæreseos suspectus fuerit, ab officario quem Familiarem vocant, coram Inquisitoribus comparere jubetur. Nulla hic fuga, nulla dilatio. Nihil factus, liber dimittitur, constituto tamen Coryceo qui omnia ejus nihil tale cogitantis dicta & facta observet. Si quidquam Romane Ecclesiæ contrarium in eo animadvertatur, Inquisitorum jussu comprehenditur, & iudicio sistitur. Illud vero notatu dignum est, quod tam contra accusatorem quam reum diligens habetur questio, utrum scilicet vir bonus sit; ac præcipue num inter ipsum & delatum inimicitia intercedant. Sed & quem Familiarem vocari diximus Officiarius talis eligitur qui in iis quæ ad religionem pertinent inculpatus, & qui à quarto gradu usque tam paternam quam maternam cognationis è Christiana prosapia sit ortus. Audito ac dimisso reo, Provisor, seu Vicarius, vel Diocesanus vocatur, & ad eius relationem accusatus vel liber pronuntiatur, vel in vincula conjicitur. Fugientem Alguazil seu licitor Inquisitionis persequitur; itemque Hermandatus seu Fraternalitas, de qua supra: tantoque major hic adhibetur diligentia quanto fugiens majoris est auctoritatis & conditionis. Capta bona omnia consignantur; damnati, confiscantur. In his omnibus administrandis Iudices summam adhibent integritatem: qui omnes opulenti sunt, & ab avaritia aut corruptionibus alieni. Ut vero leves ac temerariae accusationes impediatur, ut qui falso aliquem aut per invidiam accusasse deprehensus fuerit, severe puniatur. Captivis omnia præter vestem auferuntur. Vbi ostiduum circiter in carcere desederit, à custode carceris monetur ut à Iudicibus audientiam petat: qua impetrata, ab iisdem monetur, suppresso interim accusatoris nomine, ut culpam sua sponte fateatur, promissa, si id fecerit, impunitate; & contra terrore mortis ob oculos posito. Si nihil factus fuerit, in carcerem reducitur; ac deinceps iterum atque iterum iudicio sistitur, utque sua conscientia rationem habeat, monetur. Si omnibus artibus nihil ab eo exculpi queat, crux & Missale apportantur: super quibus juramentum facere recusans, statim damna-*